

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco  
Schoppe, Caspar  
Perizonius, Jacobus  
Franequera, 1687**

De pleonasimo

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

dentur, sed ad verum sensum aliud supplendum est. Virgil. *Sacrâ manu, victosque Deos, parvumque nepotem Ipse trahit*: verbum, *trahit*, non rectè referas ad superiora; sed *deest*, fert, vel *portat*: idem; *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis*: ubi Servius; *deest*, *opta*. Plaut. Most. *Ille quidem haud negat. Th. Imo ædopol negat profectò, neque se has ædes vendidisse, subaudi affirmat, vel jurat. Sallust. Jugurt. Non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, & omnes has, quas me premunt, ærummas, cum anima simul amisisti, &c. Horatius; Sæpe velut qui currebat fugiens hastem, per sepe velut qui Junonis sacra ferret, subaudi incedebat.*

## De Pleonasmò.

**P**leonasmos, seu Parelcon fit, quum ad legitimam constructionem aliquid additur; ut, *Adesdum*; *Iteradum eadem ista mihi*; \* *Quoad ejus fieri potest*; *Nusquam gentium*; *Ubique locorum*: quamvis in his genitivis poterit esse Ellipsis nominis. Propriè dicitur Pleonasmus, quum additur nominibus comparantibus adverbium *Magis*. Virgil. *Culice; Quis magis optato queat esse beator ævo? Ovidius, five is Lucanus est, ad Pisonem, Quodque magis dono fuerit pretiosior omni. Plaut. Aulul. Ita mollior sum magis, quam ullus Cincædus: ibid. Neque cui plus amplius malefaciam*: idem Poenul. *Verum qui dederit, magis majores nugas egerit*: idem Capt. *Nihil magis hoc certo certius*: idem Stich.

Vide ad  
pag. 161.

\* *Quoad ejus fieri potest* In hac locutione tantum abest, ut sit Pleonasmus, ut certa in ea sit Ellipsis. Vide supra pag. 309. De reliquis vide infra in Hellenismo.

Stich. Imo enim hinc magis est dulcius: idem Bacchid. Magis amiciosem. Hinc illud in sacris, quod imperiti damnant; Magis plaris estis vos. Julius Ruffinianus Rhetor, Pleonasmum vocat, vivere vitam, pugnare pugnam, seruire servitatem, nocere noxam, furere furorem. Cui facile assentior, dum ne credat, Pleonasmum esse, Longam vitam vivere, & hunc furere furorem: nam ut, Vidi oculis, Pleonasmus crit; ita, his oculis vidi, Pleonasmus non est. Additur quoque Superlativis adaugens particula. Columella; Apis, si seruit, \* maxime pessima est. Sic dixit Horatius; Græcorum longe doctissimus.

## De Syllepsî.

**C**oncordia vocum versatur in generibus, numeris, & casibus; at vero discordia casuum ferri non potest, sed in generibus, & numeris tantum, quæ per syllepsin excusatur.

Syllepsis, id est, conceptio, fit, quoties generibus, aut numeris, videntur voces discrepare.

Syllepsis generis est, quum aliud genus proferimus, & aliud concipimus. Cic. pro Sext. Duo importuna prodigia, quos egestas &c. 22 [Plaur. 22 prolog. Pœn. Scortum exoletum ne quis in pro-

L 1 5

,, scæ-

\* Maxime pessima est] Sic verpolitissima Auct. ad Herenn. IV 32. Tum Pomp. de Or. Juris §. 45. Perquam brevissimos libros. Curt. IV. 7. Bessum quoque Balthavorum Ducem, perquam maximo posse exercitus coactis, descenderet ad se jubet. Ubi non arbitrer temere à codicum fide recedendum, qui si omittant Ducem, refer Balthavorum ad Exercitium. Certè cur ita profus displiceat perquam maximo, non video.